

2057

P O L E M I C I

2058

quae incipit: *Ad Corinthios scribens Apostolus significatum est ait michi de vobis fratres mei ab his qui sunt cloes &c.* Differtatio porro haec *Librum IV.* Operis paulo supra cit. edit. *Venet.* p. 314. constituit. Meminit ibi *Rupertus Epistolae Friderici Colon. Archiep. ad Adalberonem Ep. Leodiens.* qui sedem ab anno 1122. ad an. 1128. tenuit, ante non multos dies datae, unde scriptio- nis tempus innotescit. Deficit *Codex* in his *Cap. 6.* verbis: *Si regulari disciplina constricti et intus absconditi* — — .

DXLI.

521 Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 159. 4. per duas columnas nitide scriptus, rubricis distinctus, olimque pertinens ad *M. Simonem Tiffnowiensem* duo continet Opera, quorum Primum *Marsilii Menandrini* rectius *Mainardini* a patria dicti *Patavini* Liber dictus *Defensor Pacis*, quo circa an. 1324. causam Imperatorum, et tunc quidem *Ludovici Bavari* contra Pontifices egit. Tradunt de Viro hoc *Hem. Wartonus* apud *Cave Vol. II.* append. p. 26. *Nic. Comn. Papadopolus Hist. Gymn. Patav. T. II.* p. 154. *Fabricius Bibl. med. Lat. L. XII.* p. 33. quorum Posteriores duo mea quidem sententia perperam eum Ordini *Minorum* adtribuunt, ea fortasse solum ratione ducti, quod eadem cum quibusdam hujus Ordinis viris et nominatim *Guil. Occamo*,

senferit. At vero obstat *Recto- ratus Universit. Parisinae*, quem teste *Bulæo Sec. VI.* seu *T. IV.* p. 163. et 974. Noster a. 1312. gessit, et si dicas, quod *Papadopolus* innuere videtur, serius eum ordini nomen dedisse, silentium *Waddingi in Scriptt. O. M.* reclamant, qui, cum *Michaelem de Caesena, Guil. Occamum &c.* non tacuerit, neque nostrum tacuisset, siquidem ad *Sodalitium* suum pertineret. Gravior alter error *Fabricii*, quem et *Jöcher* adlevit, *Marsilium* Rectorem *Universit. Viennensis* ad an. 1312. constituentis e *Lambecii L. II.* p. 257. edit. *Kollar. Analect. T. I.* p. 335. ubi tamen *Lambecius* apertissime *Parisiensem* nominat. Verum jam ad opus ipsum advertamus. Extat illud post edit. *Basil. 1522.* in *Goldasti Monarchia S. Rom. Imperii T. II. P. I. Francof. 1614.* p. 154. f. caret tamen ibi *Conspectu omnium trium Dictionum*, in quas divisum est, qui nobis 5. Columnas occupat, et ipsius *Marsilii* esse videtur. Illius initium: *Prima dictio* (distinctio?) *huius libri continet capitola 19. quorum primum est de Intencione summaria &c.* Hic porro *Conspectus e Capitum* singulorum *Argumentis* constans in *Edit.* per singula *Capita* seorsim distributus est. *Capitum* divisio aequaliter procurrit, usque ad *Dictionis II. C. 6.* quod in *Codice* factum est in duo, verbis illis: *Ceterum que de clauium sacerdotium potestate seu auctoritate per christum*

christum apostolis tradita &c. Caput novum seu VII. auspicientibus. At vero *Dictionis III. Caput 3.* seu ultimum et *Helveto* Editori et *Goldasto* defuit, in quo tamen et ipsius Operis Nomen et dictorum ἀνακεφαλαιώσιν posuit *Marsilius*. Orditur illud: *Uocabitur autem tractatus iste defensor pacis. quoniam in ipso tractantur et explicantur precipue cause quibus conseruatur et extat ciuilis pax siue tranquillitas et hoc etiam propter quas (quod) opposita lis oritur prohibetur et tollitur. Per ipsum enim &c.* atque hic enumeratis utilitatibus ex eo colligendis concluditur, si quid erroneum foret, corrigendum atque determinandum supponimus auctoritati ecclesie catholice seu generalis concilij fidelium christianorum. Amen. Neque hoc salum Caput e *Cod.* nostro subpleri, sed multa alia per Operis decursum genuinae lectioni restitui possent. Ad ejus porro historiam sequentia ex *Examine judiciali Francisci Veneti*, qui in *Marsilii* famulatu ut *scholaris* fuerat, habito *Avenione* sub *Jobanne XXII.* a. 1328. et producto a *Steph. Baluzio Miscell. L. I. p. 311.* seruiunt: videlicet, compositum id fuisse *Parisiis*, compositum juncta *Marsilii* et *Job. de Janduno* opera, et mox ablatum a *Marsilio* in *Germaniam*, postquam *Parisiis* aliquos spe legendi a se cursus Theologici pecunia emunxisset. Vide et *Cod.* seq.

II. fol. 124. *Hubertini de Ilia de Casali* tunc O. M. *Tractatus*,

ut e calce praeoccupo, de *altissima paupertate christi et apostolorum eius et virorum apostolicorum.* Eminuit Vir hic *Sec. XIV.* initio inter eos *Francisci* Sodales, qui duce quodam *Petro Job. Oliui* famosi in *Apocalypsin* Commentarii autore, secessione facta a reliqua Ordinis Communitate, *Spirituales* dicebantur, summum Regulae rigorem adfectantes, qua de re legendus *Waddingi Annal. T. VI.* alique, quos excitant *Oudinus T. III. col. 748.* et *Fabricius L. III. p. 354.* ubi de *Hubertino* agunt, qui tandem multis pro causa sua velitationibus incassum susceptis, quarum partem produxit *Baluzius Miscell. T. I. p. 293.* vel taedio vel animi levitate transitum ad *Benedictinos Gemblacenses* obtinuit. Facultatem obtentam a *Papa* recitat *Waddingus T. cit. p. 271.* mox tamen alterius *Diplomatis* meminit, quo anno X. *Johannis XXII.* etiamnum ut *Minorita* capi jubetur. Itaque aut illum a *Benedictinis* non receptum, aut sponte iterum ab iis digressum fuisse oportet. *Carthusianum* tandem factum et *Petresius* in *Biblioth. hujus Ord. p. 146.* et *Waddingus* in sua p. 329. adseverant. Atque hic praefatis *Codices* nostri et solus quidem meminit, qui utique confundendus non est cum brevi *Ubertini Responsione facta coram Jobanne XXII. apud Avinionem in consistorio*, quam dedit *I. cit. Baluzius* et indicare videtur *Fabricius*; continet enim Opus fati prolixum

prolixum in tria distinctum Capita, quod incipit: *Reducendo igitur ad breuitatem ea que prolixè sunt dicta de domini nostri ihesu christi et apostolorum eius paupe- re uita per dicta sacri textus et auctoritates sanctorum et rationes multiplices concluduntur tria. scilicet quod habuerunt res ad usum necessarium uite — quod uitauerunt superfluum usum rerum et seruauerunt strictum et artum et — illa pauca que habuerunt liberalissime indigentibus fecerunt communia et pro ipsis temporalibus retinendis uel repetendis omnia caudica litigia tanquam eis prohibita uitauerunt &c.* E quo principio adparet, praesentem Tractatum, quamvis, ut dixi, sat prolixum Compendium tamen esse prolixioris cuiusdam, cuius vestigium apud Autores non inuenio. Scriptum esse post Concilium *Viennense* e variis locis liquet. Ceterum, quae suo tempore evincere non valuit Noster, lenius deinceps effectum est Fratribus in dictos *Conuentuales* et de *Observantia* digressis, quibus rigidiores de- mum *Capucini* supervenerè.

DXLII.

969 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 203. 4. minutius exaratus, rubricisque distinctus exhibet: I. *Marsilii Menandrini* seu *Mainardini Defensorem* sive *Defensorium Pacis* perperam hic inscriptum *Guilelmo Occamo* O. M. de quo egi *Cod. anteced.* Praeit *Elenchus Capitum*, in quae

Dictiones III. sive Libri divisi sunt. Initium Operis: *Omni quippe regno desiderabilis debet esse tranquillitas &c.* Finis: *determinandum supponimus auctoritati ecclesie catholice seu generalis concilij fidelium christianorum. Amen.*

II. fol. 88. Incipit *Dialogus doctoris evangelici et primo Tractatus primus.* Initium: *Cum locutio ad personam &c.* Ad calcem: *Explicit Dialogus Wicleph Doctoris evangelici Scriptus sub Anno domini M^oCCCC^oXL^o.* Ut saepe alias. Margo diligenter rubricis pernotatus, et ipse character *Codicem* hunc *Bohemiae* adsignat.

DXLIII.

Codex membraneus lat. Sec. ¹¹⁸ XIV. Folior. 65. f. per duas columnas caractere minori scriptus, rubricisque distinctus hunc praefert Titulum miniatum: *Incipit liber magistri Willelmi de sancto amore socii condam de sorbona parisi. in quo recolliguntur scripture catholice et canonice ad defensionem ecclesiasticè Ferarchie. et ad instructionem et proporcionem (praeparationem) simplicium fidelium christi contra pericula imminencia ecclesie generali per ypocritas. pseudo predicatores et penetrantes domos ociosos curiosos et gerouagos.* Nota sunt in *Historia ecclesiastica Seculi XIII.* diffidia, quae *Parisiis* inter *Acadèmiam* et *Ordines Mendicantes* fervebant. In his *Guilelmus* noster *Sequanus*, *Philosophiae* primum *Doctor*, dein